

77. *Stylus curiæ habetur pro lege.* — Confirmatur ex continua praxi et stylo Pœnitentiariæ, utpote quæ semper juxta præfatas declarationes judicat, procedit, ac disponit, teste Navarro loc. cit. Hyacinthus Donatus, eoque teste doctores reliqui citati n. 73. atqui stylus Curie pro lege servatur, et habenda est, uti cum communi bene observat Gonzalez in reg. 8. Cancellar. Glossa 6. n. 210. citans plures decisiones Rotæ, Felinus, in c. *Ex parte.* n. 16. de *Rescript.* arg. c. *Ex litteris,* de *Constit.* et c. *Quam gravi,* de *Crimine falsi.*

78. Limitatur autem conclusio in regibus, imperatoribus, principibus, eorumque uxoribus, ac liberis, et comitatu eorum, modo, quo supra n. 42. diximus de ingressu in monasteria monialium.

79. *Cum illicite ingressis mulieribus quando peccent religiosi eas comitando, vel cum eis confabulando.* — Quæritur XI. An religiosi (idem est de monialibus) peccent, et pœnas incurrant, si cum illicite ingressis confabulantur, vel eos comitantur, vel hinc inde in monasterio deducunt? Resp. Quamvis non desint doctores affirmativam tenentes, inter quos est Roderiquez in expositione Bullæ Pii V, n. 9; Sorbus in *Compend. Privileg.* §. *Ingredi Monasteria.* n. 4. §. *Aliqua advertendum;* Hyacinth. Donatus, tom. IV. tract. V. q. 9. et alii; nihilominus sententia negativa probabilis videtur, dummodo vi officii expellere non teneantur, et non sint causa per comitatum, et confabulationem quod ingredienti diutius in monasterio commorentur, et aliunde non concurrat circumstantia mala, v. g. scandalum. Sanchez, lib. VI, cap. xvi, n. 95; Pelliz. tom. II, tract. X, cap. v, sect. 4, n. 97; Portel. in *Dub. regul.* §. *Clausura.* n. 3. et alii. Ratio est, quia Bullæ pontificiæ præcise loquuntur de ingredientibus, et eos ingredi permittentibus, aut introducentibus, uti legenti patet; tales autem non sunt positi in conclusione, si conditiones annotatæ absunt, ut consideranti patet, ergo ad eos non sunt extendendæ, præsertim cum sint odiosæ c. *Odia de Reg. jur.* in 6.

Reliqua de clausura vide apud Roderiquez, Mirandam, Portel. Sanchez, Hyacinth. Donatum, Pelliz. et alios de hac materia copiose scribentes. Nobis properandum est ad alias materias canonicas. (ADNOTATIO XVIII.)

TITULUS XXXVI.

De religiosis domibus, ut episcopo sint subjectæ.

1. *Ratio continuationis.* — Postquam in præcedentibus de statu regularium sufficienter actum est, recto ordine pergunt compilatores juris canonici de religiosorum seu regularium domibus: de quibus partim in præsentis titulo, agendo generatim de religiosis domibus; partim in sequenti de *Capellis monachorum*; partim in titulo de ædificandis ecclesiis erit sermo.

2. *Domus, vel locus religiosus, quid?* — Quæritur I. Quid ad præsens sit domus religiosa; et quid requiratur ad eam? Resp. I. Quamvis generaliter et late loquendo nomine *Domus religiosæ* veniat omnis locus pius auctoritate episcopi erectus, sive consecratus sit, sive non: proprie tamen ac stricte ad propositum loquendo domus religiosa est locus pius non consecratus, auctoritate tamen episcopi erectus. Ita in re communis. Sic late loquendo, nomine *Domus religiosæ* veniunt etiam ecclesiæ, templa, et capellæ consecratæ: stricte vero sola monasteria; xenodochia pro peregrinis pauperibus; nosocomia pro infirmis; orphanotrophia pro educandis pueris et puellis; hospitalia gerontocomia pro senibus et debilibus, seu valetudinariis erecta. Item confraternitates, congregationes, et alia quæcunque loca ad charitatis, misericordiæ, vel religionis opera, aliumve pium usum destinata, dummodo auctoritate episcopi sint erecta, arg. c. *Ad hæc* 4, et c. fin. h. t. et can. *In qualibet.* 23, cau. 23. q. 8, juncta l. *Sancimus.* C. de *sacris Ecclesiis.* Huc ad *Domum nempe religiosam* stricte talem spectant etiam ecclesiæ, oratoria, et capellæ nondum consecratæ, auctoritate tamen episcopi erectæ. Hinc licet late loquendo omnis locus sacer, seu consecratus, sit etiam domus et locus religiosus: non tamen e contra quivis locus vel domus religiosa est etiam locus sacer: imo, ut dictum, stricte loquendo domus religiosa non est locus sacer, seu consecratus.

3. *Requiratur ad eum auctoritas episcopi.* — Resp. II. Ad hoc, ut locus aliquis pius sit religiosus, domusque religiosa vocari queat, gaudeatque privilegiis et effectibus illius,

necessario requiritur, ut auctoritate episcopi sit erectus. Sylvester §. *de Locis religiosis.* a. 3. cum communi, et certa aliorum, arg. cit. c. *Ad hæc* 4. h. t. ibi: « Si auctoritate episcopi destinatus. » Ratio est, quia ut ait Glossa in cit. c. 4. h. t. §. *Auctoritate pontificis,* privatus locus religiosus, vel sacrum facere non potest, arg. l. *In tantum* ff. *Rerum division.* et l. 3. §. *Si quis in sepulcro* ff. *de Sepulcro violato.* Ex quo communiter inferunt doctores, quod licet etiam absque licentia episcopi possint aliqua loca et instituta pia, v. g. nosocomia, hospitalia, orphanotrophia, et alia similia pia instituta, imo oratoria privata in domibus institui, erigi, vel fundari ad hoc, ut ibidem orationes privatæ, atque pietatis, et charitatis opera (non tamen Missæ absque licentia episcopi celebrentur, can. *Unicuique.* et can. *Clericos.* de *Consecrat.* dist. 4.) privatim peragantur, tamen hujusmodi quantumvis, pia loca, ac instituta domus religiosæ nec sint, nec dici possint, et propterea immunitate ecclesiastica non gaudeant, idque ideo, quod sine auctoritate episcopi fuerint erecta, Sylvester, loc. cit.; Felinus, in c. *de Quarta.* n. 4. et 11; de *Præscript.*; Tuschus, §. *Hospitalia.* concil. 157, et seqq.; Fagnanus, in c. *Ad hæc* 4, h. t. n. 2. et ibi Glossa.

4. *Subest jurisdictioni episcopi.* — Quæritur II. Cui subjectæ sint domus religiosæ, seu loca religiosa? Resp. Loquendo de jure communi domus, loca, et instantia religiosa quæcunque tam sacra, quam non sacra, consequenter omnes ecclesiæ, capellæ, monasteria, congregationes, et alia similia pia instituta et loca, auctoritate episcopi erecta, subsunt jurisdictioni episcopi, intra cujus diocesim existunt, ita ut in omnibus fundamentam in jure intentionem habeat, et contrarium prætendens exemptionis privilegium, probare debeat. Abbas, in c. *De xenodochiis.* 3, h. t., n. 1, ibi Fagnanus, n. 1. et 2.; Hostiensis, n. 6.; Joan. Andreas, n. 4.; Pirhing, h. t. §. 1. cum communi aliorum, arg. cit. c. *De xenodochiis.* 3. h. t. ubi Summarium sic habet: « Episcopo subsunt omnia loca pia, » et c. 6. 7. et 8. eod. can. *Omnes basilicæ.* 10, cau. 16, q. 7, c. *Cum episcopus.* de *Offic. ordinar.* in 6. Dicitur autem notanter « de jure communi; » quia sunt nonnulla loca religiosa per speciale privilegium a jurisdictione episcopi exempta: et quidem hodie præcipue plurium ordinum monasteria. De quibus vide specialia privilegia.

5. *Quos effectus pariat hæc subjectio episcopo? Potest talia loca visitare.* — Quæritur III. Quid juris pariat episcopo hæc subjectio locorum religiosorum? Resp. Præter jurisdictionem fori contentiosi, et exactionem jurium episcopaliū, de quibus jam partim supra lib. I. tit. *de Offic. judicis ordinar.* et lib. II. tit. *de Foro competenti*: partim infra tit. *de Censib. exact. et procur.* duo principaliter competunt episcopo, videlicet I: Jus visitandi loca religiosa. II. Quod administratores locorum religiosorum teneantur singulis annis reddere rationem administrationis suæ; prout sublatis omnibus privilegiis, et consuetudinibus contrariis etiam immemorialibus, clare statuit concilium Tridentinum, et quidem de primo, sess. 22. de *Reform.* cap. viii. illis verbis: « Episcopi etiam tanquam Sedis apostolicæ legati, casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores; habeant jus visitandi hospitalia, collegia quæque, ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocunque alio nomine vocant, non tamen quæ sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia, elemosynas, montis pietatis, sive charitatis, et pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem loca, exemptionis privilegio sint munita; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum canonum statuta cognoscant, et exequantur, non obstantibus quacunque consuetudine etiam immemoriali, privilegio, aut statuto.

6. *Et ab administratoribus eorum petere rationem administrationis.* — De secundo vero, seu de reddenda episcopo ratione ead. sess. cap. ix, ibi: « Administratores tam ecclesiastici, quam laici fabricæ cujusvis ecclesiæ etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, elemosynæ, montis pietatis, et quorumcunque locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis ordinario, consuetudinibus, et privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis: nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tum cum iis adhibeatur etiam ordinarius: et aliter factæ

liberationes dictis administratoribus minime suffragantur.

7. *Loca pia auctoritate episcopi non erecta, episcopi jurisdictioni non subsunt.* — Verum præter limitationes in textibus positas, limitatur conclusio insuper in hospitalibus, et aliis locis piis militarium ordinum, et aliorum religiosorum, uti bene notavit Fagnanus, in cit. c. *Ad hæc*. 4, h. t. n. 47, patetque tum ex jure communi Clem. *Quia contingit*. § *Præmissa*. h. t. tum ex concilio Tridentino, loc. cit. utpote quod ibidem solum de sæcularibus, non de regularibus loquitur, prout declaravit sacra Congregatio apud eundem Fagnanum, loc. cit. n. 48.

8. *Potest tamen ab eorum administratoribus rationem exigere.* — Quæritur IV. Quid juris competat episcopo in loca pia auctoritate episcopi non erecta, consequenter non religiosa? Resp. I. Hæc loca pia non sunt subjecta episcopo, consequenter hic jurisdictionem in ea non habet. Fagnanus, in cit. c. *Ad hæc*. 4, h. t. n. 51. et ibi Hostiensis, Innocentius, Joan. Andreas, Abbas, cum communi. Probat a sensu contrario, cum enim per jura citata solummodo illa loca pia sint subjecta episcopo, quæ sunt religiosa, id est, auctoritate episcopi erecta, a sensu contrario bene inferre licet; ergo illa, quæ non sunt religiosa, episcopo subjecta non erunt. Hinc similia loca pia, v. g. hospitalia, confraternitates, aut alia pia instituta auctoritate episcopi non erecta, nequit episcopus visitare, nisi in casibus a jure expressis; prout declaravit sacra Congregatio apud Fagnanum, loc. cit. n. 54. possuntque a Fundatore, quando vivit, pro libitu mutari, et ad alias etiam profanas causas applicari, Abbas, in cit. c. *Ad hæc*. 4, h. t. n. 4. et ibi Fagnanus, n. 53. ubi pro hoc citat declarationem cardinalium, arg. c. *Cum dilectus*. 8.

Quæ tamen mutandi potestas non competit hæredibus, eo quod pia defuncti voluntas ab hæredibus non possit mutari, juxta dicta in titulo *de Testament.*

9. *Quomodo episcopus mutare possit pias causas?* — Resp. II. Quamvis præfata loca pia non subsunt jurisdictioni episcopi, nihilominus potest hic post mortem fundatoris inquirere, videre, et visitare, an juxta piam fundatorum intentionem et voluntatem deputata bona debite applicentur, et administrantur, Fagnanus, loc. cit. n. 55 et 56. Abbas, in c. 10, h. t. n. 3. cum communi. Ratio est: « quod in omnibus piis voluntatibus

sit per locorum episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem cuncta procedant, » ut dicitur c. *Tua nobis*. 17. *de Testament.* et declaravit sæpe sacra Congregatio apud dictum Fagnanum, loc. cit. n. 56. Potest insuper ab administratore quovis cujusvis loci pii, etiam non religiosi, singulis annis exigere rationem administrationis, concil. Trident. sess. 22. *de Reform.* cap. ix. per textum supra n. 6. citatum, qui universaliter omnino intelligi debet, adeo, ut licet episcopus non nisi in casibus a jure concessis possit visitare loca pia non religiosa; possit tamen universaliter ab horum locorum administratoribus exigere rationem administrationis, et videre, num cuncta bene administrantur, et juxta piam fundatorum intentionem applicentur; prout sacra declaravit Congregat. apud Fagnanum, loc. cit. n. 57.

10. *Monasterium sæcularizari ab episcopo non potest.* — Quæritur V. Utrum episcopus vi jurisdictionis suæ possit religiosa aut saltem pia loca, foundationes, et instituta ad certum pium usum erecta, vel deputata, in alium usum pium transferre? Resp. Ordinarie loquendo, negative, per jura, et rationes allegatas tit. XXV, *de Testam.* a. n. 804, ubi etiam limitationes quædam inveniuntur. Quibus etiam adde limitationem, quam ponit concilium Tridentinum, sess. 25. *de Reform.* cap. viii. illis verbis: « Quod si hospitalia (vel alia loca pia), ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucae reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum, in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior est, ac pro loco, et tempore utilior, convertantur; prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usuperiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter forte etiam in hunc eventum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum: quo casu, quod ordinatum fuerit, observari curet episcopus, aut si id non possit ipse, prout supra, utiliter provideat.»

11. *De ædificandis monasteriis. Remissive.* — Porro circa monasteria illud specialiter statuerunt jura, si aliquando ex quacunque causa deficiant, aut discedere debeant religiosi, aut minus regularis disciplina ibi vigeat, episcopus nec redditus monasterii, suæ mensuræ incorporare, nec monasterium

sæcularizare, seu in illo clericos sæculares ponere, aut in alias pias causas convertere potest, sed debet monasterium hujusmodi aliis religiosis ejusdem ordinis vel inhabitandum, vel reformandum tradi: vel in horum defectu, religiosis alterius religionis committi: utrisque autem deficientibus clericis sæculares ibidem collocari possunt, qui quoad fieri potest, foundationi priori satisfacere satagant. Fagnanus, in c. *Inter quatuor*. 5. h. t. ibi Joan. Andreas, Abbas, Hostiensis, Engel, h. t. in fine. et alii, per textum et Glossam, cit. c. *Inter quatuor*. 5. h. t. c. *Possessiones, de Rebus Eccles. non alienand.* cum concordantiis.

Plura de potestate episcoporum circa loca religiosa et pia vide apud Fagnanum, in c. 3 et 4, h. t. item apud Barbosam, allegat. 75. per totum.

12. Solet hic etiam agi de erectione seu ædificatione monasteriorum. Verum quia hanc materiam jam supra promissimus ad titulum *de Ecclesiis ædificandis*, hic superse-demus. (ADNOTATIONES XIX et XX.)

TITULUS XXXVII.

De capellis monachorum, et aliorum religiosorum.

1. *Ratio ordinis. Capellæ monachorum, quid?* — Postquam in superioribus actum est de regularibus, et domibus eorum, ordine non incongruo pergitur ad capellas eorumdem. Et quamvis capellæ nomine in jure varia veniant, v. g. subinde altare, aliquando oratorium, nonnunquam sacra ædificula a templo sejuncta, vel templo annexa, vel inexistens; uti bene advertit Azorius, p. 2. lib. III, cap. viii, q. 2. Aliquando denique quævis ecclesia etiam parochialis per se, et seorsim existens, dummodo non sit collegiata, ut ex Gonzal. refert Barbosa in Rubr. h. t. Tamen ad propositum per capellam potissimum intelligitur ecclesia curata, præsertim parochialis, unita et incorporata monasterio, vel ecclesiæ regulari. Circa quam multa examinanda non veniunt, eo quod potissima jam dicta sint titulo *de Præbend.*, titulo *de Offic. vicarii*, titulo *Ut beneficia Eccles. sine diminut. confer.* Hinc breviter:

2. *Incorporatio duplex; una quoad temporalia; alia pleno jure.* — Quæritur I. Cui

competat jus præficiendi Rectorem in ecclesiis monasterio incorporatis? et qualis præfici debeat? Ante responsonem notandum, beneficia curata dupliciter posse uniri, seu incorporari monasterio, videlicet, vel quoad temporalia tantum, vel pleno jure. Primo modo censentur unita, quando decimæ, alique redditus temporales assignati sunt alicui monasterio, « jure instituendi » penes episcopum, « jure præsentandi » penes abbatem, vel alium superiorem regularem remanente, de quo modo habetur mentio can. *Sane*. 6. can. 16. q. 2. quod si pars tantum Decimarum Monasterio competat absque « jure instituendi, » vel etiam « præsentandi; » tunc potius dismembratio beneficii, quam unio, seu incorporatio censebitur, uti post Garciam, *de Benefic.* p. 12, c. ii. n. 4. bene observat Engel, h. t. n. 10.

Secundo modo, seu pleno jure censebitur beneficium unitum, vel incorporatum, quando præter jus percipiendi redditus temporales, etiam administratio spiritualium, seu cura animarum in monasterium est translatum H. N.

3. *In beneficiis quoad temporalia tantum incorporatis, abbas præsentat, et episcopus instituit.* — Resp. I. In parochia, vel alio beneficio quoad temporalia tantum unito, seu incorporato monasteriis, abbas, vel alius superior monasterii solummodo præsentare, non idem instituere potest beneficiatum, parochum v. g. Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 188; Engel, loc. cit. n. 10, arg. c. *de Monachis*, 12. c. *In Lateranensi*. 31, *de Præbend.*, ibi: « In Ecclesiis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos presbyteros episcopis præsentent, ut eis de plebis cura respondeant. Ipsi vero (religiosis) pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos autem, inconsultis episcopis, non audeant removere. » Idem repetit c. *In Ecclesiis*. 1. h. t. Concordat can. *Sane*. 6. cau. 16. q. 2.

4. *In pleno jure autem incorporatis abbas utrumque habet.* — Resp. II. In ecclesiis pleno jure monasterio incorporatis rectorem, seu beneficiatum solus monasterii superior præficere, ac instituere potest. Barbosa, loc. cit. n. 188; Chokier. *de Jurisdict. et exempt.* p. 4, q. 40; Engel, loc. cit.; Pirhing, h. t. n. 2. et alii, arg. can. *Visis*. 1, cau. 16, q. 2. Clem. un. § *Quidam præte rea.* et § *Quidam etiam, de Excessib. prælat. et c. Quoniam*. 21. *de Privileg.* Nec obstat